

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio I.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

ADAMO SENFFEN

Werdâ-Misnico.

In Festo Andreae.

A. O. R. cl. Id. III.

HALLIS SAXONUM.

Prelo Hæredum Melcioris Oel-

schlegelij.



DEUTERONOMIUM
EVANGELIUM
FESTIVALLIUM

CHRISTIANO GUBINZIO
Cymanni Hallensis
Rektor

ADAMO GUBINZIO
Wid. Miliario

in Halle
M.D.C.C.C.C.C.



I

ANALYSIS
EVANGELII
IN FESTO ANDREÆ.

Matth. 4. à v. 18. usq; ad 22.

PRÆPARATORIUM.



Uemadmodum Deus, uti testatur Exod. c. 1. mirifice Moysen ex aquis deduxit, quem postea Legislatorem populo suo dedit: ita etiam satis mirabiliter ab aquis piscatores vocavit, quos Apostolos fecit. Id quod de quibusdam testatur Evangelium.

THE SIS I.

In quo de vocatione agitur ad Apostolatum rùm piscantium, de quibus notanda est occasio, & fuit operatio. v. 18. In quo partim modus quoad objectum, quod denotatur per temporis circumstantiam: & obambulans. Postquam nimirum exantla-

A

is

latis in deserto tentationibus suis Johannem Baptistam conjectum esse in carcerem cognovisset, & ministerium suum Propheticum inchoasset, hinc inde obambulavit: ut doceret non sedendum esse, sed agendum, ita ut pastor bonus & verus animarum 1. Petr. 2, 26. querat & ambulet, sic etiam obambulavit in horto Eden, Gen. 3, 8. & adhuc inter candelabra Ecclesia, uti habetur Apoc. 1, 13, obambulat, ut querat.

2. Et appellatur, quoad titulum: Jesus. Qui, ut Salvator secundum explicationem Angeli Matth. 1, 21. voluit ministerium suum per Apostolos prestare. Ideoque Salvatoris nomen quod in omnibus locis, habet Tertull. in lib. adversus Judæos regnat, ubique credi, ubique adorari debet, cui soli, utpote optimo magistratui obediendum, uti ait Cyrillus cap. 28. in Johannem. Ut discamus vocantis maiestatem & fidelitatem: omni enim tempore se ingerit, ait Fulgentius.

3. Et per loci circumstantiam: juxta mare Galilææ. Quod aliàs dicitur Tyberiadis. Solitus enim Christus amare mare. Unde Ambrosius inquit in cap. 2. Luc. initium totius nature ab aquis cepit: sic initium totius Ecclesie N. T. etiam ab aquis: ita ponit in
mare

3
mare manum suam, in fluminibus dexteram
suam Psal. 89, 10. ita vidit Esaias Esa. 60, 5. ab
aquis vocatos ut nubes volantes. Ut discamus
Ecclesie typum, qua in mundo instar maris
estuantis: mundus enim tumet per superbiam,
ait Bernhard. estuat avaritia, spumat per lu-
xuriam: Et sicut in mari inveniuntur pisces
vari, ita etiam in mundo Ecclesia habet pu-
tres et bonos. Et ministrorum statum: expe-
riuntur enim et in estus marinos tum per pericu-
la tum per calamitates Matth. 10, 16.

4. Partim effectus, quoad prædicatum
in genere: Vidit. Non ipsi viderunt Chri-
stum, sed ille prius vidit ipsos: Et verbum gre-
cum innuit accurate ipsum vidisse. Prevenit
itaque ille, non nos, quia nulla in nobis est apti-
tudo 2. Cor. 3, 5. Unde Augustin. l. 2. c. 18. de
peccatorum meritis quia ad Deum nos con-
vertimur ipso excitante et adjuvante fit, quod
nos avertimus, nostrum est. Videt autem qua-
tenus oculi ipsius in omnibus locis contemplan-
tur omnia Prov. 5, 3. quatenus videt abiectos,
specialiter, uti testatur Maria Luc. 1, 38. Et mi-
sericordialiter quando cum Mattheo viam
impietatis deserunt Matth. 9, 9. cum Zachæo
bona restitunt Luc. 19, 8. cum Petro peccata
deflent Matth. 26, 58. Et hoc est, quod habet

4
Esaias ad quem respiciam : ait Dominus ad
pauperem & contritum spiritum & timentem
sermone meos cap. 66, 6.

5. In specie ratione appellationis de-
scribuntur objecta partim à relato : duos
fratres. Sicut enim antiquam Synagogam su-
pra Moysen & Aaronem constituerat Deus ;
ita duos etiam in initio Ecclesie cardines agno-
scunt. Ut discamus fratres requiri in functio-
nibus : & ut ostendatur homines informandos
esse etiam de dilectione proximi Matth. 22, 27.
Et ne ministri , qui rectè docuissent, male vi-
vendo pernegare viderentur, fratres voluit, &
doctrinam & vitam : & ob utrumq; testamen-
tum, quod doceri debet Matth. 13, 52. propter
mutuum deniq; auxilium, quod ceteri fratres te-
nentur illud prestare. Hieronymus societatem
cordis & corporis allegat. Volumus itaq; ut
nos videat Jesus. fratres simus.

6. Et à titulo : Simonem, qui voca-
batur Petrus. Quod idem ac auditor, veluti
Remigius explicat, obediens; & Petrus quòd
fides eius diceretur petra, quæ Christus Joh. 1,
42. Ut discamus audiendum esse fideliter &
credendum firmiter.

7. Et Andream fratrem ejus. Quod
nomen significat virum fortem, dum primus
etiam

etiam Christianus quoad Apostolatam. Ut discamus fortitudinem requiri ad verum Christianismum.

8. Ratione comparationis, quoad factum: jacentes rete in mare. Non enim vult habere discipulos otiosos Matth. 10, 6. ventres pigros Timoth 1, 2. sed delectatur talibus, qui laborant. Ut discamus non otiaandum, sed laborandum esse: quò cum honore labores manuum in sudore manducare queant Psal. 128, 2. Unde optimè Augustin. serm. 17. ad fratres in eremo ait: Quod bonum est age, fuge otium, quod mors, & aperi oculos mentis & corporis, videbis singulas creaturas ad officia deputatas: nam qui in labore hominum non sunt, ait Bernhardus in natal. Dei. visitari ab Angelis non merentur; nec manducare debet, qui non laborat 2. Thess. 3, 10. Quin exiget à nobis Deus rationem; nobisq; inquiet Deus, ad pietatem tempus dedi ut rectè vivendi artem erudiremini, cur incassum & inutiliter tempus hoc consumsistis? habet Chrysoft. in Luc. 2. Cur Preceptorem frequenter non petiistis? neq; doctrina vacastis?

9. Et quoad officium: erant piscatores. Siquidem abundavit mare variis piscium generibus: Ideoq; non tam oppidis amœnis & celeberr-

6
leberimis erat circum septum, quam & piscatorum tuguriolis circumdatum. Ut discamus Deo nullum statum displicuisse, neq; etiam opificum. Sic Bezaleel & Abaliab spiritu Dei repleti, ut operarentur in omni opere Exod. 31, 3. ut facerent omne opus Exod. 35, 35. sic creavit Deus fabrum Esa. 54, 16. sic Siracides aratorum, architectorum, sculptorum cap. 38, 26. meminit. Josephus Christi pater putativus faber erat lignarius Marc. 6, 3. Paulus erat artis scenofactorie 1. Corinth. 12. Actor. 28, 4. Inde Augustin. multi & ex conditione servili & ex vita rusticana & ex opificum exercitatione ex plebeo labore vere magni extiterunt: nam propterea infima mundi elegit Deus, de opere monastico c. 22.

10. Et forma, ubi est ipsa ad officium destinatio. v. 19. In quo causa efficiens externa: & dicit. Nempe Christus, qui obambulaverat: non tantum vidit, verum etiam dicit. Ut discamus prius videndam esse personam, postmodum etiam ei dicendum, quid velimus.

11. Quoad materiam: illis, Petro & Andrea. Quos vidit jacentes rete in mare. Debet enim vocatio definite fieri ut sit certa res presertim in Ecclesie vocations.

12. In-

7

12. Interna forma respectu vocationis:
Venite post me. Debent enim ministri Christi
sequi, & prius ab illo discere antequam
alios doceant. Ut discamus vocationem ad of-
ficium publicum esse necessariam. Sacerdotalis
enim dignitas, uti habet Cyrillus ap. Ni-
ceph. l. ii. iis solis asservatur, qui ad eam voca-
ti sunt. Ita Deus in V. T. vocavit Aaronem
Exod. 4, 29. sic Christus discipulos Matth. 10,
2. Neque enim sibi ipsi quis sumit honorem, nisi
quis vocatus, habet epist. Hebræor. c. 5, 4. non
debent currere Jer. 23, 21. unde nec audiendi
Jerem. 27, 17. sunt fures Joh. 10, 1. sunt vulpes
Cant. 2, 5. sunt basilisci Eph. 59, 5. Ergo nec
promovendi, habet Hieron. ad Titum c. 1.
Principatus in populos non sanguini deferen-
dus, sed vitæ & consilio prospiciente constitu-
tum est, ait Ambros. in epist. ad Ephes. c. 4.
ut non ordo, sed meritum crearet Episcopum.
At nunc cernimus, habet Hieronym. pluri-
mos hanc rem beneficiū facere, ut non querant
eos, qui possunt Ecclesie prodesse, sed quos vel
ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti,
vel pro quibus majorum quisquam rogaverit;
ut deteriora taceam qui, ut clerici fierent, mu-
neribus impetrarunt.

13. Ita tamen ut cognoscamus aliam vo-

14

catio-

8
cationem esse immediatam & extraordinari-
am, qualis Moyſis Exod. 3, 4. Baptiſta & Apo-
ſtolorum Joh. 1, 6. Matth. 10, 1. quam ſemper
divina testimonia & dona Spiritus S. comi-
tantur, quæ ſunt tanquam ſigilla divine do-
ctrinæ; quæ potiffimum fuit in Eccleſia conſti-
tuenda; aliam mediatam, communem & or-
dinariam, quæ fit per totam Eccleſiam, uti colligi-
tur ex Matth. 18, 17. Actor. 1, 26. inde habetur
diſt. 15. can. ſancta. videmus de divina auto-
ritate descendere ut ſacerdos plebe præſente ſub
omnium oculis deligatur, & dignus atq; ido-
neus publico iudicio ac testimonio comprobe-
tur. Vocavit verò plebejos ut ſuperbiam & va-
nitatem mundi reprimerent, uti habet Au-
guſtin. ſerm. 225. de temp.

14. Reſpectu rationis ab effectu con-
ſequenti, per comparationem ſimilium:
faciam vos piſcatores hominum. Hoc eſt
exemplo Chriſti Doctores, ut reti verbi Dei
comprehendatis homines de mundo tempe-
ſtuoſo & periculoſo, habet Chryſoſt. hom.
7. in Matthæum. Mutatur enim, hoc gloſſa
habet, intentio, non piſcatio: Mutantur res
in doctrinam, cupiditas in amorem anima-
rum: fit mare ſeculum, navis Eccleſia, piſces
boni & mali homines, hi enim inſtar piſcium
primo

9
primò nihil intelligunt 2. Corinth. 10, 4. con-
spectum piscatorum fugiunt, & aquam repe-
runt. Bene Apostolica instrumenta piscandi re-
tia sunt, quæ non captos perimunt, sed reser-
vant, & de profundo ad lumen extrahunt, &
fluctuantes de infernis ad superna perducunt,
habet Ambros. l. 4. in cap. 5. Luc. Ut disca-
mus prestare officium, ad quod sumus vocati,
diligenter, Jerem. 22, 4. prudenter, ad Tit. 2,
7. patienter, Petr. 2, 3.

15. Et Apostolorum obtemperatio.
v. 10. In quo temporalia in genere, quoad
modum: & illi dimittentes statim. *Quam-
primum nimirum vocantem Dominum au-
dierunt, nihil distulerunt, nihil omninò cun-
ctati sunt. Non dixerunt revertemur domum,
loquemur propinquis: Sed cuncta illicò relin-
quentes fecerunt.* habet Chrysoft. hom. 14. in
Matthæum. Ut discamus obtemperare voca-
tionibus divinis. Quemadmodum non debet
obstare infirmitas, uti Moses allegat, Exod. 4,
10. nam Deus in infirmis virtutem suam per-
ficit 2. Corinth. 12, 9. non pusillanimitas & ru-
ditas, uti Jeremias, quia dat Deus ori sapienti-
am Matth. 10, 19.

16. Quoad objectum: retia sua. Ut doceat nihil Christo preponendum esse, quia ille

A 5

nihil

10

nihil preposuit, ait Cyprian, serm. 6. de orat. Dom. ne cor talibus adponamus Psal. 62, 11. & exigente necessitate etiam omnia relinquamus Matth. 19, 9. Luc. 14, 36.

17. In specie ab effectu: & secuti sunt eum. Non ergo sufficit reliquisse omnia, sed etiam sequi debemus Christum. Regnum Dei tantum valet, quantum habes, habet Gregor. hom. 3. valuit Petro & Andrea dimissis retibus & navi. Pensate igitur fratres, quid vilius cum emittur, quid charius cum possidetur?

18. Partim reparantium, quorum ad officium destinatio. v. 21. In quo antecedens modus: Et procedens inde. Nempe in plenioris littoris ripam, uti habet Marcus 1, 20. Ut discamus non unum & alterum tantum vocandum esse, sed plures. Ideoque iterum processit ipse, non venerunt; ipse exit conducere operarios bonus paterfamilias. Procedit enim vocare Apostolos ipse Christus.

19. Quoad effectum, respectu notationis, qua occasione per causam impulsivam exteriori a relato equali: vidit alios duos fratres. Iterum utriusque testamenti harmonia sibi metipsis correspondentibus fraternum inducentibus amorem adumbratur. Ut discamus citius socios & congregatos, quam solos videri.

20. Et

20. Et à titulo: Jacobum Zebedæi & Johannem fratrem ejus. *Jacobus significat supplantatorem Gen. 37, 1. Johannes gratiosum. Ut discamus quodnam debeat esse officium doctorum quò supplantent hereticos, sed ut gratiose tamen tractent suos.*

21. Ratione vocationis, quoad locum: in navi cum Zebedæo patre. *Ut qui filij erant Zebedai. Quo discamus juvare parentes quemadmodum isti.*

22. Quoad effectum: resarcientes retia sua. *Quod indicium maxima paupertatis, habet Chrysoft. hom. 14. in Matth. Vetera enim resarciebant, quia nova, unde emerent, non habebant. Ut discamus non deserere vocationem propter paupertatem. Etiam Elias atro pane vivebat 1. Reg. 16, 6. & Deus novit alere passerculos Matth. 6, 9. cur non & fidos suos ministros?*

23. Et consequens: vocavit eos. *Aquè ut ceteros. Erant habitazione cives, dilectione concordés, arte officij pares, fraternitatis pietate conjuncti: Deus sic vocavit, ne tot bonis reb9 conjunctos dissimilis vocatio separaret, ait Chrysoft. hom. 7. in Matth.*

24. Et vocavit eos. *Aquè ut Petrum & Andream, propter easdem causas. Elegit enim*



enim ait Augustin. l. 18. de civ. c. 49. discipulos humiliter natos, inhonoratos & illiteratos ut quicquid magnum essent & facerent ipse in eis esset & faceret, quia fructus eius in infirmitate perficitur 2. Corinth. 12, 9.

25. Et obtemperatio. v. 22. in quo antecedens quoad modum : & illi statim *Ut nos docerent obediendum esse vocationibus, & quidem statim, non cunctandum.*

26. Quoad effectum ratione rei : dimittentes naviculam. *Ut ostendatur ad Ecclesiasticum munus vocato secularia tractare integrum neutiquam esse. Nemo enim militans Deo negotiis se implicat secularibus 2. Timoth. 2, 4. Quae verba ad universos Episcopos dici testis est super hoc Theophyl. in cap. 2. Epist. 2. ad Timoth. Proinde Ecclesiasticus, inquit Ambros. in hunc locum. officium impleat, quod spondit, in rebus Dei sollicitus, à secularibus autem negotiis alienus.*

27. Quoad personam : & patrem suum. *Quia exigente necessitate etiam parentes sunt relinquendi Matth. 19, 19. Luc. 14, 21. non quidem ut contemnamus, sed ut Deo magis obediamus.*

28. Et consequens : secuti sunt eum. *Non ex imperitia aut stultitia, sed quia Christus*

stus

stus vocavit. Cujus tantus splendor & Majestas occulta divinitatis in humana facie Christi relucebat, habet Hieronym. l. i. cap. 9. in Matth. ut ex primo aspectu ad se venientes facillimè attraxerit. Ut discamus, si Dominus hujusmodi creaturas condidit, quæ alios ad se attrahere valeant, ait Augustin. multò magis ipse omnium creaturarum conditor ad sequendum attrahere poterat, quos volebat. Interim non voluit ut planè relinquerent omnia, ratione possessionis: siquidem & postea piscati sunt: cum crimen nō sit in facultatibus, sed in iis, qui uti nesciunt, ait Ambros, quodq; cor talibus nō adponendum Psal. 62, 11. ne in iisdem fiduciam collocemus Matth. 6, 24. & nos in vocatione impediant. Ergò dum vocat ad pœnitentiam, dum vocat ad dilectionem, dum vocat ad crucis tolerantiam, sequamur!

NOTÆ.

I. **A**mbulans juxta mare) Considera Apostolos vocatos ex mari tempestoso; ut discas animas ex tempestate hujus seculi attrahere.

II. **R**elictis retib⁹) Considera reliquifseretia sua; ut discas si velis sequi Christum, non curare temporalia.

Reji-



REjicientes retia) Considera *paupertatem* discipulorum; ut discas propter eam non deserendam esse *vocationem*.

C A S U S.

An possit superior jubere ut deserat quis suum statum?

Videtur: 1. quia Christus hic mandavit Apostolis ut sequerentur Matt. 4, 20.
2. Quia jura sanciunt, quod omnia principis l. 9. ff. ad l. Rhod. de jactu. l. bene à Zenōe C. de quadriennial. prescript. Alex. consil. 2. n. 14. vol. 1. & cons. 216. n. 14. vol. 2. Decian. cons. 191. n. 3. cons. 269. n. 5. cons. 390. n. 14. Menoch. cons. 181. n. 25. vol. 2. Vac. à vacun. lib. 3. declar. c. 48. n. 9. Angel. Perusin. scribit in l. item si verberat. 15. §. l. ff. de Rei vindic. eos mentiri per gulam, qui principem ab aliquo rem suam auferre non posse, affirmaverint.

Contra: 1. Christus non abstulit retia, sed tantum vocavit. Neque jussit relinquere, sed ipsi fecerunt, non tamen quoad proprietatem, sed tantum quoad usum: siquidem & piscaturam exercuerunt, ut patet

ex

ex Johan. 21, 6. Scriptura ostendit quòd Achab propterea punitus à Deo, quia Nabotho vineam eripuit, etiam si pecuniam solvere voluerit 3. Reg. 21, 19. Ezech. 46, 18. non accipiet princeps de hereditate populi per violentiam & de possessione eorum.

2. Jura volunt ut quod quisq; acquisivit legitimo modo, ejus sit dominus. l. 23, ff. de Rei vindicat. cum duo in solidum unius rei domini esse nequeant. l. si certè. 5. §. si duob. ff. commodat. l. 3. §. 5. ff. de acquir. vel amitt. poss.

3. Id quod nostrum est, sine facto nostro ad aliū transferri nō potest. l. 11. ff. de R. l.

4. Jure Feudali constitutum quòd princeps sine culpa non possit de vestire c. un. tit. 7. J. F. Et in l. ult. ff. de natal. restit. dicitur quod ne quidem per nat alium restitutionem patrono jus suum Imperator auferre possit: Quin tenetur princeps aequè ac alius experiri Gravett. conf. 5. n. 4. conf. 7. n. 10. conf. 103. n. 3. Gabriel. lib. 3. tit. de jure quæsito non toll. concl. 1. n. 1. Myns. cen. 5. obs. 97. Cævallos in speculo q. 577.

Ad

Ad contraria: 1. Fall. secundum quid. Alius est Christus, qui vocat ad ministerium, alius fiscus, qui auferre conatur: neque tamen plane deseruerunt statum suum, uti ex 1. arg. patet, usque dum ablegati in mundum universum, ubi iussi sunt secum nihil sumere.

2. Fall. causa. Omnia sunt principis ratione iurisdictionis & protectionis, non ratione possessionis Marant. dis. 8. n. 27. Rol. à valle conf. 87. n. 7. vol. 1. unde & Seneca: Rex omnia possidet imperio, singuli dominio l. 7. de beneficiis. c. 5.

3. l. bene. à Zenone C. de quadr. habet fall. sec. quid. intelligendum enim de patrimonialibus & fiscalibus bonis Cujac. lib. obs. c. 30. non de allodialibus: & dicuntur illa principis, quia à nullo alio conceduntur R. l. 1530. & 60. Negalien. Bocer. inst. de investitura Feudi c. 3. n. 77. Dicendum tamen quod in casu publicae necessitatis & utilitatis possit illud prestare princeps ex l. 15. §. 2. ff. de Rei vindic. & l. Lucius 11. ff. de Eviction. l. 2. ff. de aqua & aqua. Quamvis Pruckman. in tr. de Pegal. §. soluta potestas. c. 4. effect. 5. n. 15. rectè moneat faciendum hoc esse iusta de causa & legitimo modo.

Aerior illa magis, benè quæ contrita
Sinapis,

Dum purgat caput & viscera sana facit,
Sic piscatorum Doctorum nomina fiunt

Postquam divinum velle paravit eos.

Ambulat ut Jesus Galilæas æquoris oras,

Andream, Petrum solvere rete videt.

Dixit eis: hominū faciam vos esse proinde

Piscatores, me pone venite modo!

Retia dimittunt subito, Christumq; se-
quuntur

Jussi: nec, quod eos forte moretur, amāt.

Ulterius graditur, cernit cum patre Jo-
hannem,

Jacobumq; simul, retia quiq; suunt.

Hos vocat: & subito relinquunt sua retia,
navem,

Patrem, cum Christo, quippe sequuntur,
eunt.

Visne sequi Christum? mundum mundiq;
relinquas

Omnia. Næ Christi sic comes aptus eris.

Plurib; id SENFFI text; resolutio monstrat.

Pergat! & in sacris grata sinapis erit.

ita testatur

Gueinzus.

Gleich wie der scharffe Senff der Thränen-Fluch außs
drücket
aus dessen Liebes-Thron dem h. Allen Augen-lichte/
und mildiglich erzwingt aus selbiges Gesicht/
als welcher mehr als viel hat seiner eingerüttelt/
der heissen Zäbren-Quast: So wurde ausgeschüttet
der scharffe Gottes-Senff/Andreas/wie Bericht
von selbiges Veruff durch meinen Senff geschicht/
auf daß den Menschen Er/wenn Sie mit Reu erblicket
der schweren Sündenwust und ihrer Laster Last
die bendem grossen GOTT Sie beständig verhasst
gemacht/nach Senffes art/die Thränen häufig a zwinge/
aus ihrer Augen Sitz ob ihrer Sünden Schuld/
und solche führe ein in Gottes Gnaden Huld.
Wie das mein Senff bezeugt/dem dieses ich erlinge.

Gottfried Nitschmann von
Dresden aus Meissen / des
Hältischen Heltons Musen
i. s. anvertrauter Pflege-
Sohn.

ADAMUS SENFIUS.

ἀνάγκη.

UNUS, FIDES AMAS.

UNus amat gazas quæ sunt fomenta ma-
lorum.

Huic in amicitias est sine fine fides.

At gazas rutili, qua portant gaudia cæli

Et Christum puro corde perennis amas:

Pergito! Sic intres cælestia gaudia cæli

Ast illi nigri regna profunda Jovis:

Hæc amico suo primicerio

in maj. benevol. appos.

Jobst Heinrich Zürner

Plavia Variscus.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



VΦ 17




EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C



Farbkarte #13

B.I.G.



3

DIVITIARUM
ANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio I.

PRÆSIDE

IANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

AMO SENSSEN

Werdâ-Misnico.

in Festo Andreae.

O. R. cl. Ic. III.

LIS SAXONUM.

eredum Melcioris Oel-

schlegelij.

